



Dissertatio juridica inauguralis de usufructu, & quemadmodum quis utatur vel fruatur

<https://hdl.handle.net/1874/341920>

10.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E

Usufructu, & quemadmodum quis utatur vel fruatur.

Q V A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-
legiis ritè, ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subjicit.

JACOBUS LANSBERGIUS, M. F. Hagâ-Bat.

A. D. 13. Junii, hora locoque solis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXVIII.

Clarissimis Gravissimisque

VIRIS,

D. LUCÆ vander POLL,
Promotori venerando,

D. JOHANNI van MUYDEN,
Juris Utriusque D. D^{bus}, &
eius facultatis in inclita hac
nostra Academia Professori-
bus indefessis, vigilantissimis.

*Hanc Disputationem, ac se ipsum, ut qualemque
erga viros meritissimos grati animi indicium
extaret, debita reverentia.*

Offert & inscribit

JACOBUS LANSBERGIUS,

AUCTOR.



D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A U G U R A L I S ,

D E

Usufructu , & quemadmo- dum quis utatur vel fruatur.

Caput Primum.

De Etymologiâ & definitione.



E Usufructu acturo Etymologiam
& definitionem præmittere visum.
Ususfructus igitur dicitur ab utendo
fruendo ; uti frui autem significat
rem tractare & exercere ad usum
nostrum & commoditatem , quatenus
ad eam comparata est natura :
arg. l. 13. §. 4. & seqq. ff. de usufr.

l. 10. l. 15. eod. quoad definitionem eruditissime Cicero in
libro de officiis docet , quod omnis , quæ de re aliqua su-

A 2 scipi-

4 DISPUTATIO JURIDICA

scipitur institutio, debeat a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit de quo disputetur: hunc secutus, argumentum meum de Usufructu à definitione ex ordior.

§. 1. Usufructus recte à JCto. Paulo definitur; *Jus alienis rebus utendi fruendi salva earum substantia*, l. 1. ff. b. t. princ. inst. eod. Jus hic significat legitimam, hoc est de jure constitutam facultatem, in qua significatione servitus jus esse dicitur. Quot significationes illud verbum in jure nostro habeat satis indicat. l. II. ff. de just. & jur.

§. 2. *Alienis* dicitur; unde constat servitutes semper in aliena re consistere cum res sua nemini serviat, l. 5. princ. ff. si ususfr. petatur; per hoc verbum fructarius differt ab herede fiduciario: hic enim re uititur jure dominii, non servitutis.

§. 3. Dicitur *rebus*; quæ vox generis est indicans, Usumfructum esse omnium omnino rerum ex quibus utilitas aliqua percipi potest. l. I. §. i. ff. quand. dies legat. ced. l. 41. de usuf.

§. 4. Dicitur *utendi fruendi*; quod est proprium usufructus, quodque eum separat à pignore, nudo usu, habitatione; per ea etiam verba intelligimus fructuarium habere jus, omnemque utilitatem ex re percipiendi, quæ aliquo modo percipi potest, ita ut lucretur omnes fructus qui ex fundo aut ejus occasione percipiuntur, non modo naturales l. 9. b. t. sed etiam civiles l. 7. eod. non tamen potestatem habet rem fructuarium alienandi, oppignorandi, vel in alios usus convertendi, quamvis meliorem domini causam faceret. l. 7. in fine l. 8. l. 44. b. t.

§. 5. Verba jam ultima definitionis sunt, *salvâ rerum substantiâ*; quo significatur fructuarium ita uti frui debere, ut rem

ut rem salvam servet domino, ac proinde hac clausula fructuarium prohiberi, tum rem consumere, causamve proprietatis deteriorem facere, tum in aliam formam rem mutare. l. 13. §. pen. ff. b. t. atque hoc quidem de vero usufructu dicitur, non autem de quasi usufructu, §. 2. inst. b. t. de nostra definitione hæc sufficient.

Caput Secundum.

De Usufructus divisione.

§. 1. **V**ideamus nunc, an Usufructus commodam divisionem recipiat. Interpretes eum dividunt in causalem & formalem quam divisionem antea improbavi, sed jam propriam & veram ejus distinctionem explicare necesse erit. Dividitur igitur à D. D. in verum & quasi Usumfructum: in quibus enim rebus verus consistat Usufructus ex definitione ejus satis appetet; sc. in iis rebus quibus uti ac frui possumus salvâ earum substantiâ.

§. 2. Quasi autem Usufructus in iis rebus, quibus salvâ substantiâ uti frui non possumus, veluti frumento, viño, oleo, item & pecunia numerata, quod clare ex d. §. 2. inst. b. t. colligitur.

§. 3. D. D. querere solent an vestimentorum Usufructus verus vel quasi nominari posset; & ego quasi puto: nam usu quasi consumuntur: vestimentorum tamē solemnium & scenicorum verum Usumfructum esse non dubito. Sed quomodo pecuniæ esse potest quasi Usufructus, cum illa nunquam consumatur? R. pecuniæ Usumfructum in expensione consistere, eoque respectu ejus quasi absque dubio Usumfructum esse. d. §. 2. inst. b. t.

DISPUTATIO JURIDICA

Caput Tertium.

Quo modo Uſusfructus constituitur.

Constituitur autem Uſusfructus plerumque inter pri-
vatos homines , vel voluntate ultimâ , vel inter
vivos , ultimâ voluntate veluti legato Uſufructu §. 1. *inst.*
b. t. & tot. tit. de uſu & uſuſ. leg. ut & si proprietas
legetur deducto Uſufructu ; quo casu hæres habebit
Uſumfructum.

§. 1. Inter vivos vel solius acquirentis facto , vel vo-
luntate constituentis & acquirentis ; priori casu ipso uſu
& longa quasi possessione Uſumfructum acquirimus :
nam *lege ult. C. de long. temp. præsc.* Imperator consti-
tuit, ut Uſusfructus cæteræque servitutes perinde ac res
immobiles uſucapi possent ; posteriori casu & stipulationi-
bus constituitur , & pactionibus (sc. non nudis sed con-
tractui , vel traditioni adjectis incontinenti) (ut cum
JCtis. crassiori Minerva loquar) si scilicet aliqua quasi
traditio acceſſerit , qualis est cessio in jure , quæ frequens
fuit Romanis *l. 39. ff. de ſerv. urb. præc. l. 3. §. 2. & 3*
l. II. & 14. de ſervit. præd. ruſt.

§. 2. Constituitur porro Uſusfructus pure , vel sub
conditione *l. 9. §. 4. ff. ad exhib. l. 16. quib. mod. uſ. am.*
etiam ad tempus *l. 16. §. 2. ff. fam. ercisc.* vel ex die *l. 4.*
ff. b. t. gratuito autem concedi debet , alias in contractum
innominatum , vel locationem , vel similem contractum
incideret.

Caput

Caput Quartum.

De commodis ac oneribus Ususfructus.

FRUCTUARI commoda emolumentaque maxima sunt; percipit inquam omnes fructus, omnemque utilitatem ex re fructuaria, imo quos dominus ipse percipere posset *l. 7. princ. l. 9. princ. & §. 4. l. 12. §. 5. l. 7. §. 1. ver. sic. unde l. 59. §. 1. ff. b. t.*

§. 1. Si prædii Urbani Ususfructus constitutus sit, pensiones & omnes redditus ex ædificiis, areis, & cæteris, quæ ædium sunt, ad fructuarium pertinent *d. l. 7. de usuf.* quando vero quis prædi rustici vel fundi usumfructum habet, tunc quidquid in fundo nascitur, vel inde percipi potest, secundum fundi conditionem, fructarius consequitur *d. l. 9. ff. eod.* hinc redditum ex venatione, si scilicet fructus fundi ex venatione constet *l. 26. ff. de usur. aucupio & pisatione*, ad fructuarium pertinere constat *d. l. 9. §. 5.*

§. 2. Item ex metallorum inventione *l. 13. §. 5. eod.* thesaurus tamen non est in fructu fundi, tum quia non renascitur, tum quia est res nullius *l. 7. §. 12. & 13. solut. matr.* Quando autem Ususfructus constituitur in pecoribus & jumentis, tunc foetus, lac, pilus, lana ad fructuarium pertinent, partus vero ancillæ in fructu non est, sed ad proprietatem spectat: absurdum enim videbatur hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura gratiâ hominum comparavit. *l. 68. ff. b. t.*

§. 3. Potest porro Usufructarius utilitatem & commodum,

DISPUTATIO JURIDICA

dum , quod ex re fructuaria percepit , alteri locare , donare , vendere , aliove titulo concedere *d. l. 12. §. 2.* ipsum jus tamen non alienat , sed in personâ fructuarii id radicatum manet ; quod æquitas postulat ; si enim fructarius id in alienum posset transferre , hoc aliquando fieret , cum manifesta injuria proprietarii .

§. 4. Quæritur , si ex silva non cædua arbores evulsæ , vel per tempestatem ejectæ sint , ad quem pertinebunt . R. ad Dominum *l. 19. §. 1. b. t.* ita tamen ut Usufructuarius amputare possit quantum usui villæ sussecerit *l. 12. princ. ff. b. t.* Sin demortuæ fuerint ad fructuarium pertinebunt , modo novas substituat *l. 18. b. t. 38. inst. R. D.*

§. 5. Quæritur , si navis Usufructus relicitus sit quid juris habeat fructuarius . R. navigatum mittere potest fructuarius , licet naufragii periculum immineat ; *l. 12. §. 1. b. t.* navis enim ad hoc paratur ut naviget .

§. 6. Tenetur porro fructuarius ad impensas scilicet modicas ; hæ enim temporalem fructuum perceptionem concernere censemur : ad magnas non tenetur , quia ad perpetuam rei causam spectare videntur , & hinc pertinent ad proprietarium , cuius proprietas est perpetua , *l. 27. §. 3. de usufr.* quæ vero tanta sit , ut ad dominum pertineat , definietur judicis arbitrio , qui id ex circumstantiis , quantitate & qualitate , æstimabit *gl. ad. l. 7. §. 2. b. t.* agnoscat etiam decimas , vectigalia , tributa , similiaque , ad quæ prædia per se , & possessor eorum nomine , obligatus est . *l. 7. ff. de publican. & vectig. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. b. t.* adhibita tamen eadem restrictione , sc. si hæc ipsa non sit immodica ; nam quæ ultra fructuum quantitatem præstigit fructuarius , dominus ei refundere debet . *arg. l. 5. §. 2. de impens. in res.*

§. 7. Cau-

§. 7. Causam porro proprietatis non debet ull'a ratione deterio rare, l. 13. §. 4. b. t. sed uti, veluti bonum patremfamilias decet: hinc ædes fartaæ tectaæ servare debet l. 7. & seqq. l. 64. b. ea quæ vetustate corruere, reficere non tenetur d. l. 7. §. 2. & gregem per modum universitatis relictum supplere ex agnatis in locum capitum defunctorum, l. 68. in fin. b. t. aliaque præstare quæ spestant ad officium boni patrisfamilias, uti dictum: tenetur quoque ad resarcienda damna, si quæ dedit culpa sua, & quidem laevissimâ, etiam in omittendo, ut usucaptionem, non interpellando, aut alias l. 1. §. ult. us. quem cav. &, pro varietate delicti, variis tenetur remedii, veluti lege Aquilia & interdicto, quod vi aut clam nec non actionibus furti l. 13. §. 42. ff. b. t.

Caput Quintum.

De cautione fructuaria.

§. 1. **Q**uædam restant videnda de cautione, quam fructuarius præstare debet ad securitatem proprietarii l. 5. §. 1. & 2. us. quem. cav.

§. 2. 1. Videamus quinam hic caveant. 2. quid. 3. quomodo. 4. cui. 5. in quem finem. Quod primum respicit, sciendum, quod quilibet usufructuarius cavere teneatur, quocunque modo ususfructus constitutus l. 1. §. 1. & 2. l. 9. §. 1. us. quem cav. l. 5. cod. de usuf. et si Ususfructus personæ dilectissimæ datus sit l. 1. Cod. de usuf. testator autem hanc cautionem remittere non potest l. pen. Cod.

B

ut

10 DISPUTATIO JURIDICA

ut in poss. legat. l. 6. ff. ead. l. 1. l. 4. Cod. de usuf. Gail. 2. obser. 145. post DD. in dicta l. 1. & , dicta lege pen. Si tamen testamento remissa sit hæc cautio , remissio pro non adjecta habetur , & Ususfructus nihilominus debetur, l. 1. C. de usufr. d. l. 6. ut in pos. leg. l. 1. §. 5. in fin. de V.O. hac occasione quæritur , an Usufructuarius ante præstittam cautionem fructus faciat suos ; affirm. modo bonâ fide, & ex voluntate proprietarii possessionem rei fructuariæ nactus sit , nec ipse in mora cautionis præstandæ fuerit, quia cautio omessa tantum conceditur, non fructus aut usufræ petuntur l. 5. §. 1. ff. de usu. ear. rer. l. 5. l. 9. §. 4. ad exhib. l. 2. §. 1. ff. quod legator. ex quibus jam intelligimus cautionem non esse de substantiâ ususf. vel quasi.

§. 3. Quantum ad 2. quid caveat fructuarius notandum est , quod aliud caveat in vero aliud in quasi usufr. In vero cavet se usurum fruiturum boni viri arbitratu , hoc est non deteriorem se causam proprietatis facturum , rei enim proprietas deterior facta non videtur reddita , l. 3. §. 1. ff. commod. cæteraque facturum quæ in re sua faceret l. 1. pr. §. 3. §. 6. us. quem. cav. In quasi usufr. cavet, se vel rem aliam ejusdem quantitatis & qualitatis , vel æstimationem redditum , si contingerit eum mori §. 2. inst. b. t. non etiam se usurum fruiturum boni viri arbitrio: absurdum enim esset rei dominum talem cautionem præstare.

§. 4. Quod ad 3. modum attinet, dicendum est, quod hæc cautio fieri debeat datis fidejussoribus , tum quia lex satisfactionis verbo utitur l. 5. §. 1. §. 7. us. quem cav. l. 4. C. de usufr. l. 1. ff. qui sat. cog. tum quia prætoriæ stipulationes, qualis hæc est, communiter desiderant fidejussores

l. 7.

I N A U G U R A L I S . II

l. 7. de præt. stip. si autem non potest præstari talis cautio, procul dubio pignoribus cavere licebit, quod pro cautio-
nis nomine regulariter accipiatur *l. 1. §. 9. de collat.* &
idonea cautio dicatur quæ fit per pignora *l. 59. in fin.*
mandat.

§. 5. Quod ad 4. absque aliquo dubio cavendum erit ei
cujus est proprietas.

§. 6. Quod ad quintum finis hujus cautionis est, ut do-
minus proprietatis sit securus, & assequi possit damnum
circa rem fructuarium, datum dolo, culpare fructarii per
abusum aut alias: vide *l. 1. §. 5. l. 9. §. 3. eod.* si enim fru-
ctarius quid contra cautionem admiserit, proprietario
competit actio ex stipulatu ad interesse, *d. l. 1. §. 5.*

§. 7. Remittitur cautio facto hominis, cum is, cui illa
cautio præstari debet, eam vel tacite, cum non exigit,
vel expresse, remittit *l. 46. ff. de pact. l. 71. ff. ad l. f.*
quilibet enim favori pro se introducto renunciare potest,
ut & donator, qui proprietatem donavit, retento usufru-
etu arg. *l. 28. ff. de R. f. l. 7. ut legat. nom. cav.*

Caput Sextum.

De modis quibus Ususfructus amittatur.

§. 1. **D**E amissione nunc videndū: ne igitur in universum
proprietas inutilis reddatur, abscedente *Usufructu*, placuit diversis modis extingui, quidem naturali morte
fructuarii; *§. 3. inst. de usufr. l. 3. §. ult. ff. b. t. 16. Cod. eod.*
est enim jus personale, quod mortuā personā extinguitur

12 DISPUTATIO JURIDICA

d.l. 3. §. ult. & ad hæredem non transit, quia personæ est, non causæ, *l. priv. leg. 96. de R. f.* queritur si tamen simpliciter hæredibus relictus sit quid dicendum. R. favore ultimæ voluntatis ad primi gradus hæredem tantum transibit. *l. 14. C. de usufruct.* primaratio est, quia alias Ususfructus nunquam ad proprietatem suam rediret, sed semper apud hæredem permaneret; secunda est, quia contra ejus naturam esset.

§. 2. Quæritur, quid dicendum si civitati aut Ecclesiæ sit relictus Ususfructus. R. centum annos durat, quia is finis est hominis longevi *l. 56. ff. eod. l. 9. de usufr. leg.* nisi ante contingit civitatem aratum pati, id est solo æquari, aut Ecclesiam destrui, tunc enim habetur pro mortua *l. 21. b.t.* si vero oppidum per tempus sit deserto, jus pristinum retinetur vel recuperatur. *arg. l. 85 de verb. sign. junct. l. 7. §. quid cuj. un.*

§. 3. Non utendo porro per modum & tempus, id est si Usufructarius modum sibi à testatore præscriptum non observaverit *arg. l. 10. §. 1. ff.* quem ad servi amitti *arg. l. 2. ff. se acq. cottid.* modus enim pro conditione est, & qui conditionem non implet, jus suum amittit, *l. 1. §. 2. C. de his quæ sub mod.* Quæritur an Usufructarius, qui malitia sua aut culpa rem reddit deteriorem, etiam jus suum amittat. R. distinguendum, si ea lege modus expresse adjectus sit amittitur Ususfructus, si non, servetur modus *d. ll.* si Usufructarius re abusus sit absque adjectione modi jus suum non amittit, nullis enim legibus id cavitur; huic accedit, quod tali casu alio juris remedio proprietarius contra cum potest experiri. *l. 13. §. 2. ff. de usufr.*

§. 4.

§. 4. Non utendo per tempus sc. decennio inter præsentes, vel vicennio inter absentes *l. pen. ult. C. de serv. l. ult. C. de long. temp. præsc.* quod ita intelligendum, scilicet, si intra illud tempus, vel per se, vel per alios, non utatur; nam quid quis per alium facit hoc ipse facere videtur; per alium autem utimur, cum vendidimus, locavimus, aut donavimus Usumfructum *l. 12. § 2. ff. de usufruct.* Quæritur, si is, cui cessus est Ususfructus, etiam, non utatur. R. distinguendum an vendiderit an donaverit; *l. 38, 39. & 40. ff. de usufr.*

§. 5. Consolidatione si sc. fructarius acquirat proprietatem, vel proprietario cedatur Ususfr. quæ conjunctio vocatur consolidatio ex eo, quod accedens Ususfructus ad proprietatem eam solidam & integrum rediat: nam res sua nemini servit ut dictum, *l. 5. ff. si usufr. pet.*

§. 6. Adjecti temporis vel conditionis existentia *l. 5. l. 12. vers. sin autem C. de usufr.*

§. 7. Interitu rei *l. 5. §. 2. ff. b. t. inst.* est enim in corpore: quo sublato & ipsum tolli necesse est; *princ. inst. b. t.* unde si ædes perierint, ne quidem ususfructus areæ debetbitur, quia non areæ sed ædium ususfructus est relictus, *l. 1. §. 3. l. 10. ff. eod.* periisse autem dicitur res, cum ejus forma substantialis perii. Quæritur, si Ususfructus quadrigæ sit legatus, & unus equus moriatur quid juris? Resp. totus Ususfructus erit extinctus *l. 10. in fin. ff. b. t.* ratio redditur in *d. II.* quia quadriga esse desit, hoc est quia formam amisit, si proprietas quadrigæ legitur secus est. *l. 2. de leg. 21.*

co.

-iv^o V



COROLLARIA.

I.

Post litis contestationem libellum corrigere licet.

II.

Recte imperator Henricus pro Lothario judicavit, merum imperium in Principe residere tamquam in fonte, sed exercitium ejus tantum esse penes magistratum.

III.

In deposito non debentur usuræ.

IV.

Citatus ad unam causam non tenetur respondere ad aliam.

V. Peri-

V.

Periculum rei venditæ regulariter ad emptorem pertinet.

V I.

Fidejussor acceptus in majorem quantitatem, quam debet principalis debitor omnino non obligatur.

V I I.

Minor in delictis non restituitur in integrum.

V I I I.

Polygamia simultanea tam divino, quam civili iure semper, prohibita fuit.

I X.

Postremo queritur, an filius fideicommisso gravatus, jure civili duas partes detrahere possit, jus civile negat, pontificium affirmat; quod retinendum arbitror.

F I N I S.

V

-nq̄ univocum ha. vñit legem vñit se ier. mulier nō
-tumit

I V

manūr , mātātūr mārōjām ni mārōm vñlāpāl
-zḡldō nō enīmō vñlād̄h̄ vñlāpāl pñlāh̄

I I V

mārōtām nō vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ vñlād̄h̄

I I I V

-ni lñrō mārū , vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ vñlād̄h̄
-vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ vñlād̄h̄

X I

-vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ , vñlād̄h̄ vñlād̄h̄
-vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ , vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ , vñlād̄h̄
-vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ , vñlād̄h̄ vñlād̄h̄ , vñlād̄h̄ vñlād̄h̄

I I I I